

# Circa l'istituzione dei Ministeri

---

*Si pubblica, per documentazione, la lettera circolare della Sacra Congregazione per i Sacramenti e per il Culto Divino circa l'istituzione dei Ministeri, indirizzata ai Presidenti delle Conferenze Episcopali.*

## SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS ET CULTU DIVINO

PROT. N. 1837/77 - ROMAE, die 27 octobris 1977

Eminentissime Domine,

Novit profecto Eminentia Tua Reverendissima magnopere his nostris temporibus in Ecclesia agitari questionem de laicis fidelibus ad ministeria obeunda admittendis, praesertim postquam Oecumenicum Concilium Vaticanum II, multis quidem in documentis, catholicam exposuit doctrinam de partibus laicorum fidelium in apostolico Ecclesiae munere, illosque est adhortatus « ut pro suis viribus temporumque necessitatibus opus salutare Ecclesiae naviter et ipsi participarent » (*Lumen Gentium*, n. 33).

Plura Sanctae Sedis documenta proxime praeteritis his annis ad pleniores huiusmodi participationem in pastorali navitate Ecclesiae laicos fideles instimulaverunt; praesertim autem id factum est Litteris Motu Proprio datis *Ministeria quaedam*, quae, Ordinibus minoribus abrogatis et cooptatione in clerum diaconali ordinationi attributa, ministeria novi generis sanxit, non quidem ex Ordine, sed ex institutione ecclesiiali profluentia.

Porro predictae Apostolicae Litterae, pro tota Ecclesia latini ritus ministeria Lectoris et Accolythi instituunt; sed et subiungunt: « Praeter officia Ecclesiae Latinae communia, nihil obstat quominus Conferentiae Episcopales alia quoque petant ab Apostolica Sede, quorum institutionem in propria regione necessariam vel utilissimam, ob peculiares rationes, iudicaverint ».

Cum autem, iuxta facultates in memorato Documento Pontificio concessas, non una Conferentia Episcopalis Sanctam Sedem rogavisset ut alia ministeria instituerentur, Summus Pontifex statuit ut Sacra Congregatio de Sacramentis et Cultu Divino schema appararet de novis ministeriis sine Ordine instituendis, quae in praxim Ecclesiae Latinae introduci possent, potestate concessae eadem conferendi etiam feminis, praesertim Religiosis.

Haec sat complexa quaestio sedula cum diligentia pertractata est a Commissione, quae constabat ex viris rei peritis et ex delegatis Dica-

steriorum, quorum intererat; postea, diebus 22-23 mensis novembris anno 1976, eadem quaestio subiecta est examini Em.morum et Exc.morum membrorum Sacrae Congregationis de Sacramentis et Cultu Divino, qui in Urbem tunc convenerant ad sessionem Plenariam celebrandam. Ex huiusmodi consultatione perspici potuit varia dubia atque difficultates opponi contra opportunitatem hoc tempore instituendi nova ministeria in Ecclesia universa: ac propterea sententia eorum praevaluit, qui suadebant hac in re supersedendum esse, donec constaret de effectibus et de evolutione experientiarum localium.

Quae cum ita sint, atque debita etiam habita ratione eorum quae statuuntur in Motu Proprio « Ministeria quaedam », Beatissimus Pater propensus est ad concedendum Conferentiis Episcopalibus, quae facultatem ab Apostolica Sede postulaverint, ut nova instituant ministeria, quae in propria regione vere necessaria vel perutilia indicavereint. Quare Episcopatus, qui in his rerum condicionibus versantur, petitionem ad hoc Dicasterium mittere poterunt, in quibus rationes huius petitionis exponantur coniuncte cum statutis, quae singillatim et distincte normas contineant de delectu, de formatione spirituali et culturali, ac de officiis et activitatibus novorum ministrorum, nec non de modo eos pastoraliter prosequendi et adiuvandi in exercitio proprii ministerii.

Superfluum adnotare videtur haec nova ministeria etiam feminis conferri posse.

Interea libenter hac utor opportunitate tibi significandi maximaee meae venerationis sensus meque profitendi

Eminentiae Tuae Reverendissimae  
addictissimum  
JAMES CARD. KNOX  
*Praefectus*

+ ANTONIUS INNOCENTI  
*Secretarius*